



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. V. Diluuntur aliæ objectiones, quæ contra secundam conclusionem fieri
solent

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

107. Respondeo negando Antecedens, intelledum de merito condigno, ut debet intelligi. Ad primam eius probationem, distinguo Majorem: debitum justitiæ fundatur in aliqua ratione daturæ & accepti, justitiæ commutativæ, concedo Majorem: debitum justitiæ distributivæ, nego Majorem; illud enim fundatur in proportionem personæ ad rem, non verò in dato & accepto, ut antea declaravimus.

Ad secundam dico etiam præmium esse quasi quoddam pretium: nam ut ait D. Thomas hic art. 1. in corp. *Id merces dicitur, quod alicui recompenatur pro retributione operis vel laboris, quasi quoddam pretium ipsius.* Et Augustinus epist. 105. *Sicut merito peccati (inquit) tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna.* Licet ergo non omne pretium sit præmium, ut patet de pretio quod redditur pro labore brutorum, præmiū tamen quod redditur pro hominum labore & meritis, est quoddam pretium: unde denarius quem laborantes in vinea acceperunt, dicitur merces Matth. 20 & tamen erat etiam pretium.

Ad tertiam dicendum, quod si præmium vitæ æternæ esset debitum justis ex justitiâ commutativa, Deus faceret nobis injuriam, si merita nostra non remuneraret: secus verò si sit debitum solum ex justitiâ distributiva, quia, ut supra dicebamus, debitum justitiæ distributivæ non nascitur ex jure alterius erga distribuentem, sicut debitum justitiæ commutativæ, sed ex naturali rectitudine, & ipsa lege æquitatis, quæ tenet distributori commensurare præmium meritis, illudque juxta proportionem dignitatis uniuscujusque distribuere: unde malus distributor non facit propriè injuriam illi cui non dat præmium æquale merito, sed reipublicæ, cujus est minister, vel legi, & æquitati naturali, quam violat.

108. Obijcies quintò cum Aravio loco supra citato. Remuneratio meritorum est antidotalis tam in hominibus, quam in Deo; antidora enim significat id quod vulgò gallicè dicitur *Retribution*, & hispanice *Galardon*, ut bene notat Calepinus, verbo *Antidora*: Atqui antidoralis retributio non ex vera justitiâ, sed ex quadam gratitudine remunerativa procedit; est enim antidora remunerativa retributio pro beneficiis ab aliquo acceptis impenfa, ut clare colligitur ex lege *sed esse §. Consultur. ff. de petitione hereditatis*, ubi Glossa dicit quod antidora idem est atque contraria donatio; dicitur enim ab *anti* quod significat contra & *dōpor* quod est donum: in additione verò marginis subdit obligationem antidoralem ab obligatione puri pacti differre, quia quod tribuitur ex obligatione antidoralis, verè donatur, secus verò quod redditur ex obligatione pacti; quæ differentia colligitur ex lege *hoc jure. ff. de donationibus*: Ergo remuneratio meritorum in Deo propriè pertinet ad gratitudinem, quæ est pars potentialis justitiæ, non verò ad justitiâ strictè & propriè sumptam.

109. Respondeo negando Majorem: dato enim quod in humanis remuneratio meritorum esset antidotalis, subindeque procederet à gratitudine, non verò à justitiâ; in Deo tamen remuneratio antidoralis dari non potest, si antidora significet contrariam donationem, seu recompensationem pro accepto beneficio, quia ut supra §. 2. ostensum est, Deus nullum potest à creaturis beneficium recipere, nec ipsis ex gratitudine obli-

gari, sicut nec dominus servus: unde sicut non potest dari antidoralis remuneratio domini ad servum, ut talis est, ita nec Dei ad hominem.

§. V.

Diluuntur alia objectiones, quæ contra secundam conclusionem fieri solent.

110. Contra secundam conclusionem, in qua diximus retributionem præmij in Deo non esse actum commutativæ, sed distributivæ justitiæ, objicit in primis Suarez quædam SS. Patrum testimonia, quibus asseritur quod Deus esset injustus, si non distribueret præmia justis. Ita expressè docet Augustinus lib. 3. contra Julian. cap. 3. dicens: *Deus ipse (quod absit) non erit justus, si ad eius regnum verus non admittitur justus.* Et D. Thomas in 4. dist. 46. quæst. 1. art. 2. quæstion. 2. ait: *Si Deus alicui minus conferret de bonis quam ei debetur, vel plus puniret quam peccasset, hoc contra ordinem justitiæ esset, nec Deus hoc posset, loquendo de potentia ordinata.*

111. Sed facile responderetur, hæc solum convincere, reperiri in Deo veram & propriam justitiâ, per quam remuneratur merita justorum; non tamen probare in Deo reperiri justitiâ commutativam verè & propriè, secundum quod distinguitur à justitiâ legali & distributiva: hæc enim testimonia propriè & in rigore explicari possunt de justitiâ distributiva; quia cum illa sit vera species justitiæ, Deus diceretur aliquo modo injustus, si eam non observaret in retributione præmiorum, eaque secundum proportionem geometricam non distribueret; & quia ita illa attribuit, dicitur ab Apostolo ad Hebræos 6. *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.*

112. Obijcit secundo: Servare æqualitatem rei ad rem, est proprium justitiæ commutativæ, ut distinguitur à distributiva & legali, sicut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 61. art. 2. Sed Deus talem æqualitatem servat in retribuendo præmio vitæ æternæ; reddit enim unicuique præmium æquale merito, juxta illud ad Rom. 2. *Reddet unicuique secundum opera ejus, & istud 1. ad Cor. mth. 3. Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem*: Ergo retributio præmij in Deo est æque commutativæ justitiæ.

113. Confirmatur ex illo Matth. 20. *Tolle quod tuum est, & vade*: in quibus verbis designatur in mercenariis, qui significant justos viatores, proprietatem & dominium juris contra patrem familias, hoc est contra Deum: Sed non potest dari erga aliquem jus verum & proprium, nisi oriatur ex justitiâ commutativa: Ergo Deus ex tali justitiâ merita justorum remunerare tenetur.

114. Ad objectionem respondeo, distinguendo Majorem: servare æqualitatem rei ad rem, cum obligatione orta ex jure proprietatis, est proprium commutativæ justitiæ, concedo Majorem: absque illa obligatione, nego Majorem. Nam ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 20. articulo unico, dupliciter aliqua virtus à ratione justitiæ commutativæ deficit, primò quia deficit à ratione æqualis, secundò quia deficit à ratione stricti debiti, seu obligationis orta ex jure proprietatis: unde cum talis obligatio non possit reperiri in Deo, non potest recompensare merita justorum, & præmium vitæ æternæ illis retribuere, ex commutativa justitiâ, sed solum ex distributiva, quæ non respicit debitum ortum ex jure proprietatis, sicut commutativa justitiâ, sed debitum ortum ex dignitate unius operis meritorij, cōparativè ad dignitatem alterius

terius; quod debitum non respicit propriè præmiantem, ut ipsum obliget ex iustitia, sed duntaxat ipsum præmium, ad quod meritum de condigno habet proportionem & jus, & de hoc jure intelligi debent verba illa Matthæi, *Tolle quod tuum est, non verò de jure proprietatis, strictam in Deo obligationem inducente. Ex quo patet responsio ad confirmationem.*

115. Objicitur tertio contra secundam partem ejusdem conclusionis, in qua diximus retributionem præmij in Deo esse actum distributivæ justitiæ. Iustitia distributiva importat duas imperfectiones Deo repugnantes: Ergo Retributio præmij in Deo non potest à tali iustitia procedere. Consequentia patet: Antecedens probatur. In primis enim iustitia distributiva requirit debitum legale in distributore, & non solum morale; quia debitum morale solum inducit obligationem in genere fidelitatis, vel gratitudinis, non verò in genere justitiæ veræ & propriæ: repugnat autem Deum ligari seu obligari creaturis debito legali; cum tale debitum aliquam dependentiam à creaturis importet. Deinde iustitia distributiva exigit abdicationem & translationem dominij rei quæ distribuitur; quia per distributionem res distributa transit in dominium merentis, & alienatur ab ipso præmiante: nam si manet in dominio ipsius, non est actus distributivus, sed trahens alterum ad consortium suum, & ad communicationem bonorum, quod est per modum contractus, non verò per modum distributionis: Sed Deus non potest a se abdicare dominium quod habet in bona creata, illudque in hominem transferre: Ergo nec exercere erga illum actum distributivæ justitiæ.

116. Respondeo negando Antecedens. Ad cuius primam probationem dico, quod quamvis Deus non possit ligari debito legali, erto ex lege facta ab aliquo superiori, potest tamen obligari debito legali, proveniente ex ordinatione suæ voluntatis, quæ est ipsa lex & rectitudo per essentiam; & hoc debitum legale ad justitiam distributivam sufficit, ut supra declaravimus.

Ad secundam nego de ratione justitiæ distributivæ esse, quod distributor à se abdicet, & in alium transferat dominium supremum bonorum quæ distribuit; sufficit enim quod alteri conferat dominium utile in hujusmodi bona, eaque ad solum usum distribuat, retento in ea supremo dominio, ut supra ostendimus exemplo Principis, qui potest actum justitiæ distributivæ exercere erga subditos, illis largiendo bona communia in feudum, vel emphyteusim, vel etiam solum illis donando ipsorum usum. Unde ex iustitia distributiva non oritur in Deo obligatio transferendi dominium bonorum quæ largitur creaturis rationalibus, sed satis est quod bona, quæ sunt sub ejus dominio, in nostrum usum seu utilitatem cedant, & ea quæ sunt Dei dona, sint etiam hominis merita, ut loquitur Tridentinum supra citatum.

117. Objicies ultimò: Iustitia distributiva non respicit æqualitatem arithmeticam, seu absolutam rei ad rem, sed geometricam & proportionalem, ad comparativam unius ad alterum; attendit enim ad proportionem plurium personarum, ad præmij concurrentium: Atqui Deus in remuneratione meritorum non respicit hanc proportionem geometricam plurium personarum, sed proportionem absolutam quam habet præmij

A cum merito, ita ut reddat tantum præmij pro tanto merito, ut unumquemque remuneret, quantum ejus opera merentur; unde si unus tantum esset prædestinatus, cui pro meritis daret gloriam, ille actus esset ejusmodi rationis & speciei cum illo, quo nunc de facto retribuit pluribus prædestinatis beatitudinem: Ergo Deus in remuneratione meritorum non exercet actum distributivæ justitiæ.

B Respondeo concessâ Majori, negando Minorem. Deus enim in remuneratione meritorum duo præstat, in primis attendit ad debitam proportionem & commensurationem præmij cum merito, ut unumquemque remuneret quantum ejus opera merentur; & in hoc observat modum quandam commutativæ justitiæ, ut in tertia parte conclusionis ostendimus: deinde respicit ad comparativam proportionem unius cum altero, ut tribuat majus præmij digniori, & minus præmij minus digno, juxta illud Matth. 25. *Dedit uni quinque talenta, alii duo, alij unum, unicuique secundum virtutem suam*; & in hoc exercet actum distributivæ justitiæ. Licet autem non essent plures prædestinati, quorum merita inter se compararet, nihilominus actum talis justitiæ exerceret, quia tunc attenderet ad possibilitatem plurium, cum quibus merita unius compararet.

ARTICULUS V.

Utrum verè & propriè mereri possimus de condigno vitam æternam?

D Supposito quod homo possit verè & propriè mereri à Deo, sequitur dicendum de objecto meriti, seu de his quæ sub merito cadere possunt; & primò de gloria, seu vita æterna, quam de fide certum est nos per bona opera, in gratia & charitate facta, aliquo modo de condigno promereri; cum illa in Scriptura merces, bravium, corona justitiæ, denarius diurnus, aliisque nominibus, quæ inter homines debitum & obligationem justitiæ significant, nuncupetur. Unde Tridentinum sess. 6. cap. 16. dicit quod bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Et can. 32. damnat eum qui dixerit, justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem. Hoc ut dixi de Catholicos. Sed aliqui distinguunt duplex meritum de condigno; unum improprium & largè dictum, ex divina ordinatione & acceptatione proveniens; aliud proprium, quod habet in se intrinsecum & æqualem valorem cum beatitudine supernaturali; & prius quidem admittunt, sed posterius negant. Ita Durandus in 2. dist. 27. quest. 2. & Scotus in 1. dist. 17. qu. 1. art. 1.

Dico tamen, opera iustorum ex gratia & charitate procedentia, esse verè & propriè meritoria de condigno vitæ æternæ, seu habere cum illa condignitatem intrinsecam, & non solum extrinsecam, ex divina ordinatione & acceptatione provenientem, Ita D. Thom. hic ar. 3. ubi asserit quod